# LERNUTIUS (Janus) POEMATA VARIA (1454 vers)

Le texte proposé ici est celui de l’édition de Davidus Albertus, publiée à Breslau en 1603. Celle-ci rassemble un choix de poèmes empruntés aux oeuvres de Janus Lernutius, Janus Gulielmus et Valens Acidalius.

## I JANI LERNUTI CARMINA

### CARM. I.

L1_1

Quis sese ocellis insinuans tuis
divum receptus hoc amat ? Et manu
  cessante et arcu, crebra nigris
 tela superciliis coruscat ?
Sacrata virtus Numinis, heu quibus
ducta illecebris, atque sui immemor
  consedit istic ? An procacem
 esse Jovem rear, et relicta,
Junone rursus nequitias dolis
moliri opertas, praepetis ut sui
  cum tectus involucro ephebum
 sustulit Iliadem ? An puellum
catum decorae Cypridis ; ac faces
hinc spargere acres, spiculaque improbo
  vibranda cornu, nunc venenis
 tinguere, nunc variare melle ?
Vultus ita olim Dardanios prece
motus Parentis sumpsit, et abdita.
  Divinitate Elissam amicum
 fratris in arbitrium coegit.
Quid quisque credat, disspiciat : sacris
haec fixa myrti carmina ramulis,
  amorem ocellis ferre Hyellam
 credere me populis loquantur.

### CARM. II.

L1_2

Fulgentes oculi bifida qui frontis ab arce
   stringitis obliquis spicula fulminibus :
cum vobis Puer ille Cnidi postponat honores,
   excubet et vestris assidue in speculis,
Quo vos compellem titulo ? Neque enim estis ocelli :
   astra estis, tantum queis pote ferre Deum.

## CARM. III.

L1_3 Mens animi, quo caeca ruis ? Sic ergo tui exsors
   alterius pergis te dare in arbitrium ?
Vos oculi, quis fervor agit ? Quo Paeone fretos
   vulneris insani non pudet esse viam ?
Nempe ope nunc vestra abjectus, quod sit mare amare,
   cogar ab ingrato discere servitio.
Mens animi o infracta ! Oculi o male conjurati !
   In mea tam pronos exitia ire meos ?
Aeternum miseri socio languete dolore.
   Fas necis artifices, me moriente, mori.

## CARM. IV.

L1_4 Adspectu sine, Vita, tuo me pascere ocellos :
   nec mihi delicias hac, rogo, parte nega.
Sic ego. Cum strophii diducta nube, revelas
   ora Therapnaeis aemula numinibus.
Hinc velut aetherei pavefacta fragore tonitrus,
   abdita festino mox pede tecta subis.
Non est hoc sinere adspectu, Lux, pascere ocellos :
   est jaculo injecto tollere, quae dederas.

## CARM. V.

L1_5 Te Lux, te quoties video, subito aestuo totus,
   sulfur ut accensam cum rapuit faculam.
Te Lux, te cum non video, subito algeo totus,
   ut cos Alpinis quae latet in nivibus.
Astra Nepae exspectent alii, Capricorni alii astra,
   et caeli certis se recreent spatiis,
tu mihi vel tropico sub sidere Sirius ardes :
   Sirio at ardente, tu mihi frigida hiems.

## CARM. VI.

L1_6 Qualis Dardania quondam Citherea sub Ida
   pastoris Phrygii venit in arbitrium ;
cum nuptam, natasque Jovis Dea livida formam
   perpulit humano subdere judicio :
talis et arcano egreditur mea Vita cubili,
   nativum nullis artibus aucta decus.
Cernis ut explicito niteat frons aequore ? Cernis
   acer ut ex oculis spicula stringat Amor ?
His Deus ille, polo, terraque Amathuside missis,
   ut propriis gaudens ludit in hospitiis.
Quam bene caesaries vernans sua tempora obumbrat !
   Emicat e roseis gratia quanta genis !
Flammea puniceo non cedunt labra corallo :
   et primis certat narium ebur nivibus.
Quam teretes digiti ! Quam laevia colla ! Venustum
   quam latus ! Artifici quae data forma pedi est !

Ut non mortalem seprodit ! Ut omnia rara,
omnia vel magni sunt thalamo apta Jovis !
Dum licet, admissos Tithonia flecte jugales :
teque iterum Eois abde sub aequoribus :
aut ferruginea vultum tege nube, refulget
clarior e terris lux modo luce tua
Nifacis ; egressam temere pudor obruet aureus :
victa meae postquam videris os Dominae.

## CARM. VII.

L1_7
O frons Hyellae marmore laevior,
splendere summi digna toro Jovis,
non absque fronte sidera ista
sideribus tua adaequo, et ultra
formosi amoenum Luciferi jubar,
astris pudorem quo reliquis facit ;
his audeo excitare nomen
spumigena Venere invidente.
Impune nemo te videat ; sui
quin exsul, ipsum se tibi mancipet
devotus ; extemploque nexum
sponte tuum petat : ille cartu
fallace blandas qui volucres maris
sprevit puellas, non queat illicem
transire flammam, flamma visam
non mage, quam queat ipsa naphtham.
Perenniclaris tu quoque frontibus
jungere posthac, fulgidulos tibi
me teste scintillare ocellos,
unde faces animet Cupido.

## CARM. VIII.

L1_8
Fulmen habet caeli domitor ; fert Aegida Pallas ;
Oceani trino est fuscina dente minax.
Marspiter et curru molitur proelia et ense :
pugnis Tyndarides praevalet, alter equis.
Alcides clava bellatur, Mulciber igni,
thyrso Evan, virga praepes Atlantiades.
Quei solus pharetra viduus Puer errat et arcu ?
Quei face ? Cuncta oculis haec gerit arma Venus.
Quae Venus ? Illa mei pulcherrima caussa furoris,
mille oculis Veneres quae simul una gerit.

## CARM. IX.

L1_9
Excors exanimis semper vestigia sector
lux tua : et huc illuc irrequietus eo.
An quae olim Clytien damnarunt fata, eadem nunc
improba Parcarum net manus illa mihi ?
Herculis an sub fronte tibi lapis occultatur ?
Atque animi nobis ingenium ex chalybe est ?

An potius radiis istis, velut igne pyrausta,
captus in exitium sponte mea rapior ?
Eheu quam miserum male versat dulcis amaror ;
dum tecum sine me me sine Hyella vagor !

## CARM. X.

L1_10

Qua te luce mihi, mea Lux, fas visere non est ;
quae lux est aliis nox inamoena mihi est.
Per loca sic manes furvae lugubria Divae
errant aeternis palliduli in tenebris.
At qua luce mihi, mea Lux, te visere fas est ;
turbine lux agili praecipitata fugit.
Sic Jovis ad mensas Heroes nectare fusi,
quamvis longa, tamen tempora non numerant.
O mihi te, mea Lux, semper sic visere fas sit,
ne caelo invideam, sufficere hora potest.

## CARM. XI.

L1_11

Aura felicis Zephyri, aura felix,
aura, quam Phoebo Dea mater antris
clam sub exesis genuit : secundo
sic in amore
Chloris ardenti tua semper adsit :
sic tuis cedant animosa fratrum
flabra ; sic regnes : age nunc volatus
suscita, et arcem
i, pete Heroi positam Maluto,
quam Venus, spretis Eryce atque Cypro,
incolit, simul mea Lux eam oris
praetulit istis.
Defer has illi lacrimas, per ora
quae mihi nivis liquidae instar undant :
defer et suspiria nostra, ab imo
pectoris aegri
quae traho, noctuque dieque mortem
dum miser vivo miseram, atque curas
inter insanas jecur usque saevo a
vulture rodor.
Dic, bona oppressum nisi sublevet spes,
mox fore, adspectu ut recreer cupito ;
nil fore, optatum toties subire
cur morer Orcum ?
Sed quis haec amens tibi ? Luce tacta
ut meae prima fueris puellae,
flamine actutum ex humili emicabis
arduus ignis.

## CARM. XII.

L1_12

Tam procul ergo meo vixi divisus ab igne :
et sine te, mea Lux, perditus haud perii ?

Mens ergo potuit tantas evincere moles,
ultimaque infernae justa negare rati ?
Sic adeo immites lacerarunt intima curae ;
sic dolor usque suo saeviit ingenio,
ut superesse hilum mirer mihi pectoris hujus ;
ut mirer fatis me superesse meis ?
Nunc demum expertus video, curas in amore,
quamvis depressos non temere opprimere ;
scilicet ut miseri magis ac magis excruciemur,
inque diem pejus nos mala nostra habeant.
Caucasea infelix ideo de rupe Prometheus
pendet, et assidua carpitur a volucre :
cumque semel leto posset finire aerumnas,
perpetuo vivit, perpetuo moritur.
At tu, Vita, tuos ultra mihi ne nega ocellos,
in rivos lacrimarum ecce abiere mei.

## CARM. XIII.

L1_13

Quando Hyella cernere
tuos ocellos, hospites Amoris,
fiet integrum mihi
rursus : diem prae omnibus diebus
expetitum et aureum
semper fatebor, efferamque semper.
Gaudia ista vel mihi
si nox reducat : omnibus diebus
praeferendam et auream
noctem fatebor, efferamque semper.

## CARM. XIV.

L1_14

Forte sub adspectum dominae cum, Douza, venirem ;
atque oculis epulas ferre suas caperer :
extemplo arcanas penetrans vis sacra medullas
irruit, et rapidis me ignibus implicuit :
implicuit graviterque accensum funditus ussit.
Sic subita Aetnaei fulminis ira ferit.
Miretur jaculos celeres Libyae incola : virus,
Di magni, quanto majus habent oculi !

## CARM. XV.

L1_15

Exoculis mea Hyella tuis modo gaudia mille ;
at modo tristitiae semina mille traho.
Cor micat, et trepidis exsultant pectora fibris :
spem vultu quotios candidiore facis.
Mens cadit, atque exspes jaceo in maerore, metuque
spem vultu quoties turbidiore negas.
Quid jam non in me tibi Di voluere licere,
montibus his animum sic mihi quando rapis ?
Ah, ducis exemplo Haemonii, Lux, mollior adsis !
Cumque tot intuleris vulnera, confer opem.

## CARM. XVI.

L1_16 Sancte senex, Nerei quem sunt penes aequora, Proteus,
cui fas, in leges te variare tuas,
omnia si rerum miracula corpore formas ;
flamma superjecto quei potes esse mari ?
Sic ego : Carpathius contra mihi talia vates :
nam quae sollicitum cura animum, inquit, habet ?
Dic agedum, intuitu quoties tua te Venus urit,
frigidus in mediis aestibus unde tremis ?

## CARM. XVII.

L1_17 Amorem ocellis flammeolis herae
vidi insidentem, credite posteri :
fratresque circum ludibundos
cum pharetra volitare et arcu.
Eheu pavore cor trepido salit,
mensque icta amoris Numine devium
lymphatur. Eheu parce telis,
parce gravi puer acer igne.
Fas inquieta sit mihi gaudia,
curasque dulces, cuspidis et tuae
votiva vulnera, atque amicum
arte lyrae celebrare amarum.
Fas et parentis regna Amathusidos
porrecta late dicere ; partaque
tropaea de Titane, et astus
Mulciberis male pertinacis.
Tu vim leonum, tu tigrides domas,
ceteque et uros : perque acies truci
dextra Gradivum fulminantem
mitem animis placidumque reddis.
Tu post Gigantum terrigenam manum
fusam fugatam, tela Diespitri
irata tollis : tu relicta
conjuge sidereisque regnis,
quandoque tauro dissimilem sui
abdis vel auro ; jam gelidis cygnum
uris sub undis, jam salacem
destruis in Satyrum aut in hircum.
Te bruta tellus, te maris aequora
caelumque et invisi horrida Tartari
sedes veretur : te veretur
ipsa Hecate, Patruusque Pluto.

## CARM. XVIII.

L1_18 Cor mihi nescio quis rapuit ? Quis ? Numquid Hyella ?
Sic est : luminibus praeda fuit dominae.
Quid nunc quid faciam ? Qua cor ratione reposcam ?
An toties captus audeam adire iterum ?

Sirenumque iterum ad scopulos haerere, et iniquas
   ilicet in pedicas non rediturus agi ?
An potius maneo ? Praestat. Sed corde remoto,
   languida quei solitus membra calor recreet ?
Quo feror ambiguus ? Pro me puer ito Cupido ;
   aut Paphiae ceston huc cedo matris : eo.

## CARM. XIX.

L1_19

Dum penitus nostris nondum Puer ossibus haesit,
   et prima afflatus incalui facula :
intentis in te pendebam fixus ocellis,
   Argus ut in pastus pelli<cis> Inachiae. (fin de mot illisible dans l'édition de 1603.)
Et quamquam infestum lunaret fervidus arcum,
   et plena circum te streperet pharetra :
mensque acris praesaga mali trepidaret, et ire
   ultro se proprium sciret in exitium ;
non tamen a caro potui divellier ore,
   insolitis gaudens vita cupidinibus.
At jam nunc animum et sensus deperditus omnes,
   sera ut Nyctimene, ferre aciem nequeo ;
incertusque mei muto, jactorque Medusae
   tamquam saxificae cernere vultum habeam.
Nec tamen a caro possum divellier ore,
   insolitis captus vita cupidinibus.
Heu tacti ad vivum, frustra, frustra estis ocelli !
   Quid libertatis quaerere jus patriae ?
Aut quorsum invitos alio contendere gressus ?
   Sic Phryga pos damnum sero ferunt sapere.
Quin agedum perstate, avidique haurite venenum
   vivere cum non sit, sit mihi posse mori.

## CARM. XX.

L1_20

Huc illuc quo quisque means in Sole vagatur,
   corporis accedit corpus inane sui.
Haud aliter quo, Vita, pedum vestigia flectis,
   corporis accedo corpus inane tui.
Certe tecum animi vivit pars optima nostri,
   ne quem me species arguit, esse putes.
Sum tu : cura tui nec te tamen ulla remordet,
   corporis hinc jactor corpus inane mei.
At simul ex oculis oculos subducis, inane
   qui modo corpus eram, dispereo in nihilum.
Nec minus hei nihilum luctus, lacrimaeque male urunt !
   Sic post fata etiam Mygdonis orba dolet.

## CARM. XXI.

L1_21

    Quem tu, Vita, tuo semel
perstrictum placido lumine ceperis,
    illum non vagus Adria
jactabit cupidum : non creperae vices

ardentem in fera proelia
raptabunt. Neque fors aulica, callidis
occultum ingenii artibus
quod Regum obsequio subdiderit caput,
adscribet procerum ordini.
Sed qui sanctus Amor dulcicado madet,
et formae insolitus lepos,
diffundent liquido nectare caelitem.
Caeli me rota tertii
concinnat Charites inter amabiles,
ac sacrum Veneri gregem :
et jam mole minus corporis aggravor.
O mortalibus invidas
mentis quae tenebras, Lux mea, discutis !
O saeclo quoque reptili
incussura aquilae, si libeat, volatum !
Ex omni et merito tuum est,
quod cura vacuus degeneri feror,
nil Deos tacite obsecrans.
Quod vivo et valeo, sumque meus, tuum est.

CARM. XXII.

L1_22 Alituum immortale decus, Diis aemulus ales,
ipse sibi genitor, ipse sibi soboles,
qui nostri ex alto spernens consortia mundi,
nec Fortunatis cernitur a populis ;
sed Tigrim, Gangemque ultra, Nabathaeaque flabra
Lucifer ardentes mane ubi frenat equos,
Aurorae roseos inter Titanidis ortus,
non adeunda aliis regna beata tenet ;
taedia decurse quoties male fert aetatis,
ne fati temere concidat arbitrio ;
aggereum educit tumulum sibi colle sub alto,
conspicuum myrrha, conspicuum casia ;
et tumulo adjiciens flores et germina florum,
mercibus intactam pauperat Arabiam.
Mox Phoebi ad radios pennas quatit auricolores,
accenditque sui funera sponte rogi ;
scilicet ut leto redivivus surgat ab ipso,
natalesque ambusta hauriat e cinere.
Sic ego dum nitidos Dominae me verto ob ocellos,
instar siderei qui mihi Solis habent,
spe, desiderio, dulcique agitatus amore,
ipse pyra et proprio sum meus igne rogus.
Atque ubi diripuere avidae praecordia flammae ;
vivere desisto, vivere ut incipiam.

CARM. XXIII.

L1_23 Non tibi pulchra satis, Claudi, mea Hyella videtur :
nec merito raris digna cani numeris.
Aut miser invidia, aut alio excaecatus amore es.
Sume meos oculos, et dabis esse deam.

## CARM. XXIV.

L1_24 En speculum formae testem cape, labraque Hyella,
adspice Acidaliis invidiosa rosis.
Adspice marmoreum frontis decus, adspice Phoebi
lumina sidereis aemula luminibus ;
ut superet niveos facies candore hyacinthos,
et cervix Indum lactea ebur superet.
Quintiliae tali nec contigit esse : nec ipsa,
Sexte, tua venia Cynthia talis erat.
Talis erat Phrygia praelata duabus in Ida,
ad caelum victrix dum Cytherea redit.
Omnia contulerunt in te sua munera Divi.
Ah, cave, ne cupidis surripiare Diis.

## CARM. XXV.

L1_25 Ocellus ille, quem cano, Dei alitis
ait fuisse nidus unus unicus ;
neque ullius lepori amabilis nurus
nequisse praenitere, sive seriis
opus foret vacare, sive lusibus.
Et hoc negat Lycaenidis male aemulae
negare frontem, et auream Critheidem,
Plocenque nobilem, Aeliamque caesiam,
Glyconida, speculumque Belgii Antherin :
ubi iste post-ocellus, antea fuit
Serena stella. Namque in orbe lacteo
micante saepe lumen extulit face.
Tabuda magne, tuque ductor Hespere
tibi haec fuisse et esse cognitissima
ocellus, inquit ; ultima ex origine
choros stetisse dicit inter astricos ;
tuo ustulasse te tuosque in aequore,
et inde tot per invidentium greges
decus tulisse, dura sive mollia
moveret arma, sive mallet Aliger
simul protervus abdere utraque in jecur.
Neque ulla vota amasionibus Diis
sibi esse facta, cum veniret a domo
Jovis superbi adusque candidum hunc diem.
Sed haec prius fuere. Nunc Dioneo
cluitque honore, seque dedicat Tibi
Cupido Amoris, atque Amor Cupidinis.

## CARM. XXVI.

L1_26 Caesarias alius deducat in arma cohortes,
aut Othomannorum proelia resque canat
ipse domi quo Marte premar, quibus impetar ausis,
eloquar Idalii perditus insidiis.
Non equites, non me pedites, classesve lacessunt :

6 agminis insoliti fraus nova bella movet.
7 Lunatoque superciliorum e fornice grassans
8 cruda venenatis vulnera dat jaculis.

## CARM. XXVII.

L1_27 v.1 Credimus in superis aevum si ducere Divos
2 ex quo Saturnum templa Acherontis habent :
3 quei nunc caelorum tractu, illecebrisque relictis,
4 degere Lux tecum gaudet et audet Amor ?
5 Certe oculi quaecumque tui vis attrahit illum,
6 jure mihi fuerit major Amoris amor.

## CARM. XXVIII.

L1_28 v.1 Haec hora dicta est : exit ecce patriis
2 factura Diis ritu annuo.
3 Spectare rarum si juvat formae decus,
4 nulla ante quale protulit
5 aetas avorum, nec futura posteris
6 producet ulla saeculis :
7 ut invidis reconditum exseras jubar
8 Titan, memento, nubibus.
9 At ne procaci lumine avius cave
10 et mente et axe corruas :
11 clademque nati rursus instaures tui,
12 cum terra hiulca incendio
13 manes profundi prodidisset Tartari ;
14 cymbamque publicam Senex
15 pigro paludis abdicarat alveo ;
16 et jam ipse Erinnyas furens
17 deos in ipsos Dis citasset, amnium
18 ni Rex Paterque perditi
19 orbis misertus attulisset ultimis
20 in rebus auxilium Padus.
21 Praesens face adsis, et memor, Cupidines,
22 si quando Divos urere
23 redit voluntas, ex ocellulis herae
24 geminas ciere lampades.

## CARM. XXIX.

L1_29 v.1 Luce oculorum orbus cum fertur utraque Cupido
2 dictat ut Aoniis gens operata sacris :
3 queinam tam certo sua spicula discutit arcu,
4 lascivum quoties stat penetrare jecur ?
5 Heu spes ambiguas ! Quid non in amore timendum,
6 vulnere si caecus dirigit arte Puer ?

## CARM. XXX.

L1_30 v.1 Lutea puniceis Matuta jugalibus exit ;
2 etque pruinoso excita viri gremio

tollitur, aequorei adsiliunt sub sidere fluctus,
et trahit aurivomos purpurea unda sinus.
Sol pone emergens radiatum insigne reportat,
et juga rimatur ardua luce nova.
Tu quoque, Vita, tuis lucem mihi suscita ocellis ;
et tenebras laeta disjice fronte meas.
Non audis ? Et verba nothis facio irrita ? Nox est
luce vel in media te sine plena mihi.

## CARM. XXXI.

L1_31

Flecte oculos, mea vita, tuos : si cernere pergam,
fiam Tiresias alter, et Oedipodes.
Redde oculos, mea vita, tuos : ni cernere pergam,
frigidus exanimi pectore dispeream.
O dubii vis certa mali ! Quid Cypri minaris ?
Quae nova te in clades asperat ira meas ?
Aut placidis fruar impune et cum pace ; vel aeger
ne toties moriar, da semel ut moriar.

## CARM. XXXII.

L1_32

Si quandoque mihi obviam
facta es ; hos oculos tuos
ut vidi, hei geminas faces,
queis dudum misere uror !
Ne rursum exitio sciens
memet objiciam ; ilicet
incerto trepidus pede,
qua datur, retro cedo.
Frustra : nam prius aridas
flamma per segetes strepens
sedetur ; prius in caput
cursus Isara flectat,
quam desiderii queam
surgentis premere impetum,
aut menti arbitrio meo
legem ponere recti.
Ut quondam (Inachiae fidem
si veram historiae putas)
ad pestem ante oculos sitam
ivit Amphiaraus :
sic cernam licet, apparem
quid mali mihi, ni loco
devitem ; tamen in crucem,
vel pes me rapit ipse.
Cur ergo, o oculi, fuga
vana nitimur ? Aestuat
imis visceribus latens
vis concepta veneni,
quam nec Thessala cantibus
aut herbis anus enecet ;
quin nec ipse Epidaurius
curet arte paterna :

hic etsi lacerum Deae,
vitaeque Hippolytum suae
olim reddidit ; haec polo
possit diripere astra.
Ah, Amor nimium impotens !
Ah, me clade gravi obrutum !
Jamne condicio feris
ipsis mitior exstat ?
His et letiferas manus
pastoris fugere, et sacro
dictamni antidoto datur
plagae posse mederi :
si quam forte volatili
percusse jaculo latus,
dum male insidias cavent,
accepere trementes.
Sed nil deprecor, impudens
sim. Si vel puerum sui
optem dissimilem, aut velim
captum luce videre.

## CARM. XXXIII.

L1_33
Cur faciem quoties istam, Lux, cernere pergo
   immemor ah animi exsternor et obstupeo ?
Nec secus, ac contra tendit qui tela diei,
   protinus obscura differor a nebula ?
Di facerent, Argi cingant mihi lumina frontem !
   Alitis aut cingant lumina fulmigerae.
Arcas virga meos oculos non vinceret unquam :
   in capite hoc somno nec foret ulla quies :
quin formae tot monstra tuae formosa tuerer,
   Dum mors obtutus solveret una meos.
Et sane dos digna Diis pote, et aequa videri,
   extulerint cum te dotibus innumeris,
innumeros tribuisse mihi quoque luminis orbes :
   mirer ut hos inte, Lux, propiusque sequar.

## CARM. XXXIV.

L1_34
Post obitum in varias animam migrare figuras
   Euphorbo vere si placuit Samio :
nec mors ingenium mutat, seu flumina canus
   servet olor, nemorum seu leo tesqua colat :
Ipse ego (quando suo me cepit lumine Hyella)
   composito gignar funere papilio.

## CARM. XXXV.

L1_35
Ad te si quando accessi, et tua lumina specto,
   lumnina Phoebeis quae mihi pro facibus :
ut qui monstrifice Phorcynidos ora tuentur,
   frigidus adstricto pectore dirigeo.

Nec mora : lux animum attonito rapit improba ; et alter
sum Thamyras, fieri dum volo Arestorides.
Quodque poetarum superat mira omnia, fio
hoc mage Arestorides, quo mage sum Thamyras.

## CARM. XXXVI.

L1_36 Cur numquam satier tuos
spectans, Lux mea, ocellulos,
istos, Lux mea, ocellulos,
qui cor sic mihi carpunt
ignitum faculis suis,
ut nec Aenariae obrutus
altis vorticibus Gigas
Coeus ardeat aeque ;
mirabar prius : at modo
nil novi video. In necem
sponte tendere Pyralin
vidi lucis amore.

## CARM. XXXVII.

L1_37 Qui solis Libyae degit basiliscus arenis,
cuncta cenenato lumine trux perimit.
Quid mirum, vastis igitur si regnet in oris,
nec quisquam propius audeat ire ferum ?
Mirandum magis. Adsector te, Lux mea, semper,
cum tamen et miti lumine me perimas.

## CARM. XXXVIII.

L1_38 Ut Afro ratis occupata vento,
dum caelum tenebris, fretumque inhorrens
solo fulgure claret : ipsa cani
dum prudentia et ars stupet magistri,
jam Pollucibus ultimum invocatis ;
si secundior aura spiret, et lux
e Pharo procul emicet, repente
hanc remis petit, advolatque velis.
Sic istos mihi quando, Vita, ocellos,
post lentas hiemes amoris offers
jactato male perditeque : surgit
celer mox animus, fugaque fluctus
tam saevos trepidante spernit, et se
in portum penitus suum recondit.
Illum ego ut sequar, assequarque, si quis
te tunc me sinat usque basiare :
usque ad milia millies trecenta
te tunc te mea basiare pergam,
aut ultra potius neque osculandi
umquam me satias moveret ulla ;
non, si praepavitante corde, et ipsis
tandem deficientibus medullis,

totus hauriar obruarque totus.
Sed dum te mea basiare pergo,
dum plexus cupidis tibi lacertis,
ut tenax hedera arbori aut corymbus,
isto nectare solvor osculorum,
quo nec suavius ipse Phryx Tonanti
inter pocula caelitum ministrat :
nolim vel cupiam, haud queam teneri,
quin et lucidulos tuos ocellos,
quin genas roseas, et oris hujus
clari, candiduli duos pyropos,
unde has delicias mihi creari,
unde haec gaudia gaudeo evenire,
grato lumine saepius salutem.
Di quod hoc genus impotentiae ? Ergo
sic labris misere invidere ocellos :
nec spem esse auxilii ? Huc Meneni : et olim
si plebem patribus reduxti amicam,
quam malus temere efferarat error,
nunc age ingenium excita, allabora,
cum labris bene congruant ocelli ;
et Deus mihi pacis alter esto.

## CARM. XXXIX.

L1_39

Non ita Parrhasiam spectat lapis Indus ad Arcton,
   occulto magnes nobilis ingenio ;
nec Clytie sic solis equos intenta tuetur,
   mortua non potuit cujus amore mori ;
nec sic aurata rutilantia in arbore mala
   observat custos pervigil Hesperidum ;
nec sic Phryxei tutatur velleris Hydrus
   excubat insomni nocte dieque acie :
in te ego ut obtutu semper defigor eodem,
   Lux mea, luce frui fas mihi quando tua est.
Sed quae fata meis credam contraria votis ?
   Colchida quamve in me sacra piare querar ?
Dum tibi devotos usque aversaris amores,
   nescia blanditiis reddere mota vicem ?
Namque vel adsiduis studiis addicta Minerva
   secreta certas delituisse domo,
vel si fors prodire juvat : velo abdita prodis,
   tamquam deliciis invidiosa meis.
Ah nostri si nulla tibi, Lux, mutua cura est !
   Saltem sit Pueri mutua cura Dei.
Hic est ille, tuis qui cernere gaudet ocellis,
   qui tibi cum superis et Venerem antetulit.
Et potes o male grata Deum bis lumine adempto
   abstrusum caecas deprimere in latebras ?
Ne tantum ne offirma animo pulcherrima crimen ;
   quin potius laesi numina concilia.
Ut possis prodire velis, vultu sed aperto,
   teque palam videat, invideatque Venus.

## CARM. XL.

L1_40

Ocelle Americi soli, volans sacrata Phoebo,
fors inter alites tibi fortuna jure favit,
quascumque mobile aeris per aequor aura tollit :
cum labe nulla turpior novoque salva ab orbe
munusculum Puellulae meae obtigisti amicum ;
atque illius nunc in sinu melos suave lingua
tentes sonare blaesula ; cibisque nunc cupitis
fruare, nec tuae Indiae te germina aut odores
morentur ; omnia Indiae cum germina ac odores,
nectarque dulce caelitum trahas velosculo uno.
Dic o mihi, dic, roscido soluta mane somno
cubile quando deserit, decusque amabile oris
exsuscitans toro emicat ; natale numquid astrum,
eque occidente oririer stupesne posse solem ?

## CARM. XLI.

L1_41

Quid juvat in nostros dentem distringere lusus,
   et premere innocuae simplicitatis opus ?
Non hic Galbano prurit mihi pagina luxu
   Hellespontiaca nec crepat aera manu.
Nec Didymi exactas renovat sub fornice noctes,
   aut Nero, quae tacitis gesserat in Capreis.
Adspicis ingenua deducta poemata fronte,
   qualia dum Paphiis ignibus incalui,
prima verecundo cecinit mea Pieris ausu.
   Estne quid hic oculi, Zoile, cur doleant ?
Si doleant, tu causa mali. Quos invidia exest,
   intuitu sanos sic vitiant oculos.

## CARM. XLII.

L1_42

Non insolenti nec dubia ferar
via uniformis per superum igneas
  amator arces ; atque nexu
 corporis ante obitum exsolutus
terrena spernam. Nil capiet mei
de parte sacra Persephone nocens,
  Tagaxque Parca, stamen occet,
 ut lubet, e tribus una nostrum.
Jam jam repulsa nocte animi, vigor
conturbat intus, atque hominem procul
  exturbat aegrum, concitoque
 pectus obit agitatque motu.
Jam mens inerti carcere libera
supra maligni tramitis obices
  curru Cupidinis levata,
 evehitur per inane magnum.
Interque caeli septa Quiritium,
et Gratiarum virgineum chorum,
  qua Cyprius movetur orbis,
 ipsius in gremio Diones

laetatur omni laetitia : et Deae
agnoscit expressam effigiem suae,
ardetque, miraturque, et in se
liquitur illecebra decoris !
Frustra latebris, Lux, penetralium
peploque gaudes ; nusquam oculis abes
invisa nostris. Mitte peplum,
mitte supervacuas latebras.

## II JANI LERNUTII ELEGIAE.

### AD JANUM DOUZAM A NOORTWIICK ELEGIA. I.

L2_1

Tu nunc ambrosia Musarum et nectare plenus
disseris ingenii semina, Douza, tui.
Ac curis procul aeternos moliris honores,
unde et ab exsequiis laus tibi certa manet.
Non levis ambitio, nec amor male suadus habendi,
quae dira humanis pabula dant vitiis,
nec te desidiae Siren movet improba ; nec te
ulla voluptatis se vocat illecebra.
Aut ergo ante tuos vivis conviva penates,
et nihil arcana voce rogas superos ;
aut qua secretum illudit tremulis nemus umbris,
lymphaque muscos a prosilit e scatebra,
inter hamadryades et agrestum Numina Faunos,
insolitum citharae dividis arte melos ;
dumque canis, sistunt latices, nemus arrigit aures,
mirati applaudunt Fauni et Hamadryades.
Aut Dominae in gremio tereti cervice reposta,
dilectis oculos pascis imaginibus,
labraque turgidulis pressans sitientia labris,
ipsum cum Paphia despicis Odrysium.
Mox niveis caeli vectus super ardua cygnis,
qua sola unius semita facta solo est,
ultra luciferum formosae Amathusidis orbem,
hic ubi in auratis Sol micat altus equis,
mille rapis, monstrante Deo, miracula rerum ;
et duplici mentis igne citas animum.
Hinc tua sub nostras venerunt basia chartas,
basia deliciis invidiosa suis.
Basia vel Pyliam nata emollire senectam,
basia vel sanctos digna hilarare Deos.
Felicem o te sorte tua ter, Douza, quaterque :
ante obitum vita caelicolum frueris.
At mea me caris Lachesis procul arcet ab oris,
et miserum ignoto jactat in exsilio.
Nec satis est Alpes modo transcendisse nivesque,
saxaque mutatis vis superanda feris ;

et toties sprevisse viae discrimina caeca,
tot subiisse aestus, tot subiisse hiemes :
ecce aliam ex alia cogor mox visere gentem,
currere et Insubrum finibus ulterius.
Interea ferus instat Amor, Dominamque relictam
objicit ; et rapidas ventilat usque faces.
Quid tibi jucundum nostras incendere poenas ?
Tam tener, hei, numquam non gravis esse potes ?
Haud ego desertor fugi tua signa Cupido.
Justa fuit patrium linquere causa Larem.
Quam Tityo volucris, nobis concede quietem.
Plus satis est durae me mala ferre viae.
Neve vaces ; rigidos istis age subde sagittis,
per lacerum penetrant jam mihi tela jecur.
Aut si nulla mei tibi parcere cura dolori est ;
sit saltem pharetris parcere cura tuis.
Haec ita, sed surdae, nequidquam conqueror auri,
raptaque lascivi verba ferunt Zephyri.
Ille animum, sensusque meos sine fine venenat,
ille mihi noctes asperat, ille dies.
Nec prosunt ultra dulces in carmine Divi,
Delius et Musae, Thyrsiger, et Charites.
Nec me rura suis opibus halantia tangunt,
nec tangunt cantus aut citharae, aut avium.
Omnia sunt inamoena : vagus sequor avia longe,
atque horrore sacras lugeo per siluas.
Turturis hic vidui vox est mihi grata gementis :
ille meae speciem tristitiae unus habet.
Hic lapidi lapis incumbens prope fontis ad urnam,
(vos eritis testes Naiades et Satyri.)
Ah ! Quoties, lacrimis in maesta cadentibus ora,
irent perpetui fonte novo latices ;
ni mox siccatas ambusti pectoris aestu
agmine serpenti repere vix paterer.
Ah, quoties patrias frustra convertor ad oras !
Et querula nomen voce voco Dominae !
Saepe mihi Morpheus ipsi nova somnia fingo,
somnia perpetuo vera futura mihi.
Saepe ego ne tales pergam sentire dolores,
Mygdoniis opto stare jugis scopulus ;
sic mihi flos vitae, melior sic deperit aetas,
nec quisquam externo porrigit auxilium.
Nunc Te per Genium studii communis adoro,
perque alterna sacrae foedera amicitiae,
adfer opem, curasque animi proscribe tyrannas ;
et tandem alloquiis me mihi redde tuis.
Nam potes : ipse Tibi Paean sua carmina donat ;
donat et Ismariam Calliopea lyram.
Maxima nec defit doctis vis addita dictis,
et quidquid Pitho, vel probat Aegiale.
Quod mihi si saevos sedaris in ossibus ignes,
fas sit ut ingenii libera fila sequi,
non quia te nostris sperem pote tollere Musis.
Sed qua mente Deos thure, mero colimus ;
aeterno tibi digna canam praeconia versu :
virtutisque tuae, Douza, Poeta ferar.

Nec subtile Umbri metuam censoris acumen,
et dabo Burenae materiam invidiae.
Jamque adeo in tanto rerum quod turbine possum,
qualiacumque meae pignora Terpsichores
mitto, dicoque tibi. Solito tu suscipe vultu
quae damus, atque oculis esto meis speculum.

## AD JUSTUM LIPSIUM. II.

L2_2

Musae Pierides, Musae genus ab Jove sacrum,
alite cum Puero, tuque Erycina Venus,
et Lepor, et Charites, et Divum quidquid amicis
praesidet, ac sancta gaudet amicitia,
dilectum pariter mecum invitate sodalem,
et facite, adventu nos suo ut ille beet.
Adsis o Lipsi patriae columenque, decusque !
Adsis, et coram nos face ut ipse bees.
Hic te Mekerchus semper tuus, atque Briardus,
te manet hic Victor, te manet hic Modius.
Nansius, et Pantinus, et indigitatus ab urna,
non senis impuris, sed Phrygis Iliadae,
unanimem unanimes cupide opperiuntur amicum :
cernere te Brugae, te Ria noster avet.
Brugae scriptura illustres tua et Attice Athenae ;
at Ria prole virum par Tiberi atque Pado.
Inprimis te Lernutius manet ex die in horas,
nec pote discidium ferre tui ulterius,
non secus absentem Pylades quaesivit Orestem,
non secus absentem Thesea Pirithous.
Sic mater juvenem, quem trans maris aequora ventus
cunctantem externis detinet hospitiis,
irrequieta vocat : noctis sic gaudia amator
pacta sibi exspectare, et solet expetere.
Adsis o Lipsi, patriae columenque, decusque !
Adsis, et coram nos face ut ipse bees,
quid rear ? An fidos liquisti, Juste, penates ?
Nec te conjugii cura, domusque tenet.
Sic certe fidei praevenit epistola sponsor,
et sperare bonam spem bene nos voluit.
Jamque Lare egressus proprio tua praedia transis,
corniger irriguo quae lavat Isca pede.
Bruxellamque subis, sedem Regumque, Ducumque,
ex merito Nemesin Regum itidem atque Ducum.
Testis Cuninga, testis decumator Eous,
et quotquot similes induit in laqueos,
naufragiumque solo in solido facere alta coegit
ambitio, et caecae mentis avaritia.
Et quamquam hic summis Belgi de rebus agatur,
quid contra vafrum pro patria Autolycum
facto opus, et contra Briareia monstra Harpyias,
totque lupos, Calpe quos alit occidua.
Alostum porro contendere pergis ad urbem,
urbi dissimilem, dissimilemque sibi
ipsi, quae modo flos erat, et Tenerae urbium ocellus,
cum nondum diri militis insidiis

intercepta minas, caedesque et stupra Marana
pertulit. Heu Divi quae fuit illa dies !
Hinc rursus digressa manus cum perdita Iberum
funditus Europae sustulit emporium !
Tunc barathro Eumenides simul exsiluere profanae,
tunc Mars in pestem perniciemque hominum,
et mors incubuit ; conjunctaque fata ferentes
ditarunt Stygium perpetuo aere Senem.
Non tot Cannensi ceciderunt clade Quirites ;
nec simili aggestas Laomedontis opes
turbine victores rapuere ad Pergama Graii,
Argolica Trojam dum capit arte Sinon.
Ergo interfectae tu causa, pecunia, es urbis ?
Per te qui vivunt, vivere desierunt.
Tu dubiis animos auxisti mentibus : ex te
orta lues scelerum prodigiosa fuit.
Tu Maurum trepidum, spectantem ad foedera pacis,
audere insana cuncta manu subigis.
Nam dum te affectat ; periit fas, jusque, bonumque ;
et flamma periere innocui, et gladio ;
et Janus non justa piae dare debita alumnae,
nec flere extremas audet ad inferias ;
sed sua vulturii nunc vexant membra, vorantque
improbi, et infanda luridi ab ingluvie.
O Maia genitrice nepos Cyllenie Atlantis,
sic a stirpe orbis procubuisse forum ?
Aut quidnam eversa gaudes Gradive Anversa ?
Si nescis, nervus urbs erat ista tuus.
Scaldi quid auxilium imploras ? Quid Numina in ore
surda tibi ? Ex adytis Divi abiere tui.
Nam tibi quae flavo trepidabat flumine lymphae,
adspice purpureo sanguine spissa rubet.
Adspice, Mulcibero dominante incendia passim
tecta vomunt. Quid habes, cur superesse velis ?
Omnia sunt tecum pariter tua commoda fracta,
omnia sunt tecum gaudia pulsa tua.
Abde caput miserande, et pronam tubridus urnam
contere. Nil superest, cur superesse velis.
Aut patris Oceani in gremium fuge. Forsitan illic
fortunae melior spes melioris erit.
Sic erit. O votis Superi adspirate secundi !
Et date composita vivere pace piis.
Prome caput, pronamque relabere versus ad urnam :
audierunt justas Numina, Scaldi, preces.
Detumuere animi latronum arx Ganda recepta est,
qua sine res etiam Flandrica pessum ierat.
Ad quam deproperans proprior fit Lipsius, et jam
Gorduno primum proximus ad lapidem,
crastina si faveat roseo Dea Leucothoe ortu,
speratum nostra ponet in urbe pedem.
Heu, quae non cupidum mulcent solacia pectus !
Dum desideriis mens animi icta suis
nocturnum incusat, optatque ardescere lucem,
qua dabitur carum cernere posse caput.
Nunc lubet invisas penitus deponere curas,
et mala cuncta avidis tradere turbinibus.

Nunc lubet Aonios iterum insanire furores,
auribus et doctis arte satisfaceret.
Et niveo signare diem de more lapillo,
plenaque laetitiae tendere vela meae.
Huc mihi verbenam puer, Assyriosque liquores,
cumque igni Laurum, cumque mero calicem.
Otius hic aram vivo de caespite tolle,
qua fugit intonsis lympha sub arboribus.
Ipse Deum plena venerabor Numina acerra
prostratus, sacris et dabo thura focis.
Sancte vigil, tutela mei fidissima Lipsi,
seu te progenitum Pleiade Mercurium,
sive magis Phoebum, seu credere Pallada fas est :
sis bonus, atque, olim quae tibi vota, cape.
En tibi servatos brumae per tempora flores,
en tibi, quae crines spica Cilissa lavet.
Ante aram Phrygios iterat tibi tibia cantus.
Ad cantus facilem te precor esse mihi.
Dive, fave : nam sponsa fide, promissaque posco.
Tu juvenem nostris sistito luminibus.
Neu amor eludens cupidum spe lactet inani,
neu mora sollicitum lentior excruciet.
Da capere affatus, alternaque jungere verba ;
da satiare oculos, da satiare animum.
Cras tibi pro meritis meriti solventur honores,
et cadet ante tuos victima caesa pedes.
Audimur : rata signa Deum testantur, et omen
Delphica succenso laurus in igne crepat.
Ipsius et liquidis stillant unguenta capillis,
et sertae appositam decidit in pateram.

## AD VICTOREM GISELINVM. III.

L2_3
Ex quo Belgarum patrio digressus ab orbe
Sequanicae adscribor pars Academiolae ;
suspicor irato Genio, aversisque Camenis,
nulla mihi mentem, nulla animum aura subit ;
nec me consuetis lustravit Apollo choreis,
ipse suis abiit spiritus e numeris.
Et jam quarta novum reparat Dea menstrua cornu,
fraternis toties excita luminibus.
Sic ubi frigidior brumae rigor impulit annum,
fluminaque hiberna adstricta stupent glacie ;
ora premunt volucres, et vepribus in perplexis
languidulae nullis se soluunt studiis :
horriferos hiemis tantum aversatae Aquilones,
querquera lugubri murmura voce iterant.
Nil igitur posthac placidum manabit ab ore ?
Sic alium mutus vertar in Harpocratem ?
Non ita Pierides cupiant : hoc nolit Hyella,
illa meis olim nobilis ex oculis :
cum me prima suis victum sibi cepit ocellis,
Jussit et ad certos verba animare modos ;
reptantemque solo, vulgique in nocte latentem
extulit e tenebris, et dedit esse aliquem.

Surge anima ; atque iterum nimium intermissa retracta
carmina, Victori fausta precanda tuo.
Qui nunc natales abitum meditatur ad oras,
Palladii repetens moenia Lovanii :
hic ubi Deliades vitreo sub fornice nymphae
saepe illum intentis obstupuere oculis ;
dum modo sacratum Phoebo projectus ad amnem
versibus insolitis sistere cogit aquas ;
nunc nemore in viridi turba admodulante volucrum
et saxis aures indit et arboribus.
Interdum Aeoliis resonam concentibus Echo
incitat, ac vocis flectit ad arbitrium,
arbitrium, exempto quod saecula fine loquantur,
quodque hominem superis inserat ordinibus.
O mihi dum liceat porro usque audire canentem !
Quam juvet exactas rursus inire vias,
aut te per scopulos etiam, Giseline, Ceraunos,
aut per inhumanos persequi Hyperboreos.
Nec me flagranti terreret Sirius astro,
nec nivis aeternae terra adoperta gelis.
Vel tecum optatas peterem patrii orbis Athenas,
vel pariter lympha mergerer in Stygia.
Nunc alio me fata trahunt. Divellimur ambo.
Quid faciam ? Temere est spernere velle Deos.
At tu, Faune, poetarum tutela piorum,
longa per externos quo via jactat agros :
si mea saepe tuas decantat fistula laudes,
si a tenero constans saepe tibi facio,
incolumi da sancte iterum cito jungar amico
incolumis, nec nos dividat ulla dies.
Tunc voti reus, irriguae juxta caput amnis,
perstrepit argutas qua lapis inter aquas,
exesa sub rupe sacram tibi moliar aram,
grataque de Paphio serta feram nemore.
Hanc circum pueri, seriesque innupta puellarum
et plaudent choreas, et tua facta canent.
Ipse ego inumbratus viridanti tempora pinu,
haedulus ardentem dum tremit ante focum,
terna tibi laticis Nysaei cymbia libans,
ter celer obflammas vertar, et exiliam.
Sive tamen redeo : reditum seu Parca negarit,
i, pete speratae dulce solum Patriae.
Et longum mihi, Victor, ave, ave optime Victor :
jam vocat ad solitos te tua Musa choros.
Jam tibi constantes portat Deus ales amores,
blandaque conjugii vincula nectit Hymen.
Illis laetus eris, votoque solutior omni,
cum simili reddet te puer ore patrem.
Ecce Coronides lateri sociatus euntis
contingi claro lumine se capitur.
Ecce novo gaudens prodit medicina paratu,
ac merita frontem fronde tibi decorat.
Ante valetudo campis emissa beatis,
ingreditur proprio concomitante grege :
grex Vigor atque Jocus, Roburque, animique Voluptas,
gaudiaque et sancto juncta venus Bromio.

In medio Phoebus gemino tibi foedere vinctus,
et citharam laeva sustinet, et Panacen ;
insolitumque hilaris, tantoque elatus alumno
instat, et admissos concitat alipedes.
Parte alia affectae timor atque infamia terrae
cum morbis altum Mors ruit in barathrum.
Salvete, o colles Grudii, tu Dilia salve ;
salve undansque citis macte voluminibus.
Olim praeteritis quaecumque audistis in annis,
cum secura suo Cos stetit Hippocrate ;
ac cantu divos movit Oeagrius Orpheus :
fas eadem et nostris cernere temporibus.

## AD JUSTUM LIPSIUM. IV.

L2_4

Et Genii, ingeniique potens cultissime Lipsi,
nascentem placidis quem Dea Svada oculis
dum rapuit, lethae eripuit ; atque invidia ipsa
majori indulsit vivere perpetuum.
Queis nunc in studiis Te suspicer excolere aevum !
An taetrica Astraeae munia justitiae
indefessus obis ? Patriique oblita retractas
jura fori, et magnum es aemulus Aemilium ?
An longinqua patrum facta atque antiqua reperta
sedulus invisis eruis e tenebris ?
An genis ipse tuo felici e pectore, quae mox
praesens et ventura omnia saecla legant ?
Et modo liberiora juvat continguere verba
melle Arpinati, Cecropioque sale ?
Et modo stat choreis lustrare Helicona novenis,
plectere et in numeros carmina dia suos ?
An potius densa Grudium admirante caterva
exponis Veneti scripta operosa Titi ?
Perfunctusque tibi temet furaris ; et horti
rure tui gaudes prae sene Corycio ;
horti, quem Ver adsiduum, quem Flora, Venusque
incolit, et Zephyri credidit hospitium.
Non tibi nequidquam mentem ex meliore metalle
Japetionides indidit atque animum,
qui vulgi de more insanis otia curis
transigere, et tacitas condere opes cuperes ;
sed mage qui priscis posses certare disertis,
sive tuis Theseus, sive Quirine tuis.
Per quem barbaries nostro procul orbe fugata
Cocyti obscuras se abderet in latebras ;
cujus de Borea laus iret didita ad Austrum,
iret ad Eoos, iret ad Hesperios.
Ergo Arcas Divum interpres, et carminis auctor
Cynthius, et Pallas Virgoque, masque eadem ;
et Paphiae comites, dominae sine veste sorores,
a puero meritis dedita turba tuis,
aeterno, sanctoque tui inflammantur amore :
certatim grates et tibi persoluunt.
Arvaque Thespiades fusae per aprica puellae
exercent dextras in tua dona agiles.

Haec apium intexit casiae, metit haec amaranthos,
illa rosis pingit lilia puniceis.
Altera septenas modulatur pollice chordas,
et similes chordis voce sonos animat.
Illa tuum nomen bifidi super ardua montis
culmina corticibus scalpit in arboreis.
Nec jam Nisigena aut thyasos inducit Iaccho,
aut jacet hesterna membra gravis crapula
Musarum manibus sed serta tibi interplexa
fert vigil, et mentis ipse suae Dominus.
"O caelo dilecte, tui flos unice saecli,
salve, ait, et propriis macte potens opibus.
Nec tibi sit Crassos mirari divite ab auro,
amplaque ab auratis atria porticibus ;
aut Arabo advectas, Indove ex aequore merces
expetere, aut succis vellere lota Tyri.
Ista leves jactent animos per fanda nefanda.
Tu cape pugnatae praemia militiae.
En ego te niveis subvectum ad sidera pennis
Mnemosynae statuo conspicuum ante pedes ;
et capiti imposita immortali e fronde corona,
haec tua circumeat tempora, temporibus
omnibus interimenda ; micantem fulgida ad Arcton
dum stabit Cressae torta corolla Deae."
Sic ille. Adsensu plausere Aganippides uno,
et patria Phoebus plausit ab Ortygia ;
ipse hedera vinctum movit caput Evius Evan,
fallor ? An ad plausum cor mihi subsiliit.

## IN JUSTI LIPSI TACITUM V.

L2_5

Vi cum Sol oritur, cedunt umbraeque, soporque,
noxque abit atrata cincta caput nebula ;
luce nova albescunt auraeque et carrula caeli,
atque mari et terrae redditur inde color.
Sic postquam ingenii cepisti fundere lumen,
et per te antiquis fama revixit avis ;
artes emersere bonae, bona prisca repertae
e longo rursus enituere situ.
Fugit barbaries, totus jam mille per annos
regnata, et praeceps ivit in exsilium.
Ipsa caput victrix attollit Belgica caelo,
quamvis pressa malis innumerabilibus.
Virgineasque tibi nutrit jam sedula lauros,
cedere se et Celtis, Ausoniaeque negat.
Jure tuo ; nam quis sese tibi comparet, arte
sive opus est, ipso sive opus ingenio ?
Non ille, egregiis monumentis clarus ubique,
Italus in Gallis, Gallus in Italia ;
non rigida et veteri, qui de virtute locutus
vivit, et Arpinas audit in urbe novus ;
non alii, quorum nostra haec et serior aetas
intexet chartis nomina perpetuis.
Nam patria procul atque bonis, civilia passus
vulnera, et undosi litus ad Oceani ;

continuis languens morbis, et mortis avarae
faucibus ereptus atque iterum atque iterum,
aut priscae historiae, et juris primordia sancti
in Batavis magno primus honore doces.
Pegasidesque olim potas Aganippide lympha,
mel bibere, et nectar cogis in Oceano.
Aut operae immodicus nocturnae ad signa lucernae
mandas aeteris scripta voluminibus.
Sic modo prodierunt lecta illa Electa, simulque
prodierunt Latii lautitiae et Veneres.
Sic et Epistolicae : mellitum opus et sale tinctum
illo, unde, ut fama est, Cyprigena orta Dea.
Sic tua nunc olim vivunt convivia in orbe,
queis Hebe adspersit mattya caelicolum.
Ecce iterum Tacitus, totum quem paene lituris
opplerat medio tempore barbaria :
purus et illustratus, in antiquumque nitorem
redditus, optato prodit in ora hominum.
Aesona non aliter memorant Medeide canam
arte comam, et rugas deposuisse senem.
Hunc tacite, o Caesar, dignum Te, jam face mille
descriptum exemplis pulpita cuncta habeant.
Sed quid opus fisci reditus absumere ? Quidve
scribarum celeres sollicitare operas ?
Nam Tacitus Plantinus erit, qui parva opera et re
efficiet magno Caesare majus opus.
Macti esse eximio Tacite et Plantine labore,
et Lipsi nostrae maxima pars animae.

## III JANI LERNUTII ODAE.

### AD BONAM VALETUDINEM. PRO JUSTO LIPSIO.

L3_1

O diva ! Dites quae colis insulas,
praesens salubri temperie genus
curare nostrum, spemque praesens
ludere praecipitem Charontis,
te veste molli umbrata genas vocat
ferox juventus, te senii unicum
levamen aegri, quos senecta
vi tacita attenuavit aetas.
Te cunctae amicant sollicitae sibi
suisque gentes, quaque oriens diem
illustrat orbis, quaque pronus
mergitur Hesperium sub aequor ;
formidolosa ne luce tabeat
mortale saeclum, neu populos frequens
emissus Orco lictor Orci
vastet atrox, spolietque luce.

Te mater ambit laeta Lubentia,
Chorosque, Cantusque, et Charites manu
ductans amica ; nec voluptas
candida abest, validumque Robur.
Te Liber, et stirps Uraniae aureus
sectatur Hymen, nec latus abnegat,
quo cumque sub caelo caducam
Iapeti sobolem alma visis.
At tussis impura, at mala febrium
cohors facessit : diffugiunt pede
tremente morbi, Morsque fundo
exsulat interiore Averni.
Serva cubantem Lipsium, et ultimam
extende metam ; neu patere abditae
Antiquitatis occupatum
in studio ante diem fuisse.
Heu, impiorum, et nequitiae pudet
avumque : quid non barbara polluit
aetas ? Quid intactum nepotes
vidimus ? Unde stylum magister
inscitia effrons continuit ? Cui
pepercit auctori ? Hoc utinam caput
orbi supersit ! Ille priscis
restituet decus omne Musis.

## AD PHOEBUM DE J. LIPSIO. II.

L3_2

Si textum capitis rosa
incendat rutilans, temporaque ardeant
circum Chrysoliti, mare
dum mane Oceanum linquis, et aetherae
curru scandis in aureo.
Sic declivus aquas vespere ad hospites
cum vergis, celeri obviam
Horae, ac Nereides agmine prodeant :
exceptumque sinu, patris
Ducani in thalamos, fons ubi nectare
arcanus scaturit mero.
Sic seu voce melos, sive melos lyra
mavis dividere, ac Deum
instaurare epulas, carmina caelites
attenta aure vorent tua,
spernantque ambrosiam prae modulamine :
o mundi decus ! O Pater
vatum Phoebe, lubens huc ades ! Et mihi
nubem pectoris exige,
et lustra ingenium lumine candido ;
da, Sancte, orgia mystica
rimari, atque oculis prendere lynceis ;
da versu lepido et pio
laudes egregii sribere Lipsii.
Aut id si mereor minus,
si perferre homini tantum onus est nefas,
hoc plectrum, hanc citharam Deus
certe sume tibi, dignaque Lipsio

pro me carmina concine.
Hic namque ille bonis est animi potens
divinis animi bonis,
princeps nobilium Lipsius artium.
Hic est, quem neque turbidi
armorum sonitus, nec variantia
fortunae, et fera perpetis
morbi saevities a studio avocant
Virtutis, Sapientiae.
Hic est, quem et decus et delicias suas
ad cantum ingeminant lyrae
Musae, Mercurius, Gratia, Amor, Venus.
Quem Svadela via invia
supra urbes, populosque et maria arduum
famae curribus evehit :
et tecum pariter currere dat polum.
Cui si, Phoebe, parem putas
doctrina, eloquio, moribus, ac fide,
et tibi esse puta pares
astrorum faculas, non hieme aspera
caeli cardine in horrido,
cum per signa meas semiferi senis
acri frigore pallidus,
sed cum vel nitidi Veris obis dies ;
admissisque jugalibus
exultas medio flammeus aequore ;
vel cum frugiferae premens
spicas Erigones ignimi cantibus
autumnum radiis coquis,
in partemque Deos agricolas juvas.
Hoc plectrum, hanc citharam pater
ergo sume tibi, dignaque Lipsio
pro me carmina concinens
ipsum crede tuum dicere te Linum.

## IV JANI LERNUTII EPIGRAMMATA.

### AD JANUM DOUZAM.

L4_1 Adspice et haec, lauroque favens et baccare lustra,
o Phoebi, o Charitum, Douza, cor atque anime !
Nec mirere, rudis cur se tibi nostra dicarit
Pieris, et nomen te velit esse suum.
Ingenio lucem Domini quae ferre negaret,
victuram Genio se putat illa tuo.
Sic et prisca tholis olim monumenta sacrarunt.
Fallor ? An et Clarium tu mihi Numen eris ?
Seu placet hoc superis, seu fors manet altera, credam.

Quid vetat optata credulitate frui ?
Adspice et haec, lauroque favens et baccare lustra.
Auguror, et Clarium tu mihi Numen eris.

## AD JACOBUM MONAVIUM.

L4_2 Cum paucis sapiens ipsum te, Monave, nosti,
uno spes omnis dum tua nixa Deo est.
Magne Deus, sobolesque Dei, Deus ac Homo Christe,
tuque amor amborum in Numine Numen idem :
da porro, ut quidquid statuet tua sancta voluntas,
hoc probet usque pio Monavus ex animo,
ut seu laeta illi eveniant, seu tristia, pergat
in terris vitam vivere caelicolum.

## AD GOTOFREDUM HAEFTIUM.

L4_3 Censuram, Gotofrede, mei tibi carminis edam.
Pars mala, pars melior pessima, pars media est.
Quaeris ubi bona sunt ? Quaere ut lubet. Haud tamen ulla
parte boni species vel simulata latet.
Unde igitur victura reor ? Livore carebunt ;
invidiam quod habet, non solet esse diu.

## DE VENERE ET ROSIS.

L4_4 Dum saeptis Cytherea rosas legit aurea in hortis,
quas juveni in sertum plecteret Assyrio,
spinarum imprudens distrinxit acumine dextram ;
nec mora : conspectu sanguinis icta sui,
palluit, utque Deam flores sensere paventem,
ex illo semper erubuere rosae.

## AD FURIUM.

L4_5 Vis dicam, Furi, quare tuus iste libellus
projicit ampullas, et tumide inflat utrem ?
Cum nunc sacrorum fastos, ac Pontificum jus,
nunc crepat historias, scriptaque perpetua.
Quaeque alia haud umquam tibi sunt per somnia visa,
ne dicam studiis evigilata tuis.
Nescio quid certe : an verum cantat Apollo,
nominis augendi omnia te facere ?
Sic certe : clamat cerebri vesania, morbum
ut pellas, succis esse opus Anticyrae.

## IN VIPERAM.

L4_6 Vipera habet dextras, quarum est pice lentior Idae
altera, Vibenni est altera vera soror.
Vipera homo est ater : nam sanctos spernit amores,

et fas, ut libuit juxta amat, atque nefas.
Vipera homo est demens ; nec sperat vindicis iram,
deprensus pergit qui temere esse tagax.
Sed nunc id crucior, quod grato, ingratus haberi
sustinet, et furto polluit hospitium.
Non impune tamen : qui sis, tete omnia saecla,
noscent, et venies, Vipera, in ora virum.

## AD FLORUM.

L4_7
Damnat Fusio nostra, Flore, damnat
ille Fusio, Fusio ille, saecli
ingens opprobrium sui. Quid ? Anne
damnat Fusio nostra, Flore ? Laudat.

## DE BASSO.

L4_8
Cur concinata fulgidus nitet veste,
nec leucophaeam Bassus, ut solet, gestat ?
Sponso placere vult suo : brevi nubet.

## AD JACOBUM HAEFTIUM.

L4_9
Si quisquam tibi sincero se foedere junxit,
et rebus penitus se dedit ipse tuis,
quem neque Fortuna tumidum Fors blandior inflet,
nec metus infringat asperior timidum,
hujus me fido unanimem, Haefti, scribito in albo :
et tibi Dardanium me esse puta Hyrtacidem.

## IN MILITIAM TEMPORIS NOSTRI.

L4_10
Quid faciat Virtus, ubi Fors regit omnia, et ictu
ardua fulmineo subruta quaeque ruunt ?
Ipsi Pelides, quos extimuisset et Hector,
saepius imbelli morte cadunt globuli.
Bellum ergo Andabatum nihil est, nisi mutua caedes.
Et Deus, ex alto qui videt, hanc patitur ?

## DE JOVE ET AMORE.

L4_11
Nequitias pueri pater incusabat Amoris
acrior, irarum non sine nube tonans.
Huic Amor : "Ardenti, quantum pote, fulmine saevi ?
Et gelido, dixit, flumine nabis olor."

## IN VIPERAM.

L4_12
Vipera non frustra, aut temere mihi cognite furax,
quae mala te tantum crux agit in facinus ?

3 Siccine blanditiis, et magniloquentia abutens,
4 delicias rapuisti et bona cuncta mea !
5 Nec pudet ? Hei Musae nostrae interfector acerbe !
6 Hei pestis vitae, perniciesque meae !

IN HYARENAM.

L4_13 v.1 Difficilem quod te nimis, austeramque vocarim,
2 da veniam. In culpa non ego, fervor erat.
3 Ecce recantatis studium est tibi parcere dictis.
4 Mollis es, et facilis : nulli Hyarena negas.

AD JANUM DOUZAM.

L4_14 v.1 Stemmata si quis miretur, tibi stemmata, Douza,
2 sunt veterum Herois ducta ab originibus.
3 Sin animum ingenio mavult et moribus auctum,
4 moribus est animus auctus et ingenio.
5 Divitias potius fulvo si spectet in auro,
6 quae et cupidum satient, sunt tibi divitiae.
7 Ante alios triplici sic nobilitatus honore,
8 unicus es verae nobilitatis honor.

AD AFRUM.

L4_15 v.1 Omnia molitur, quo rem struat, Afer Iberus :
2 et tamen infelix, Irus ut alter, eget :
3 per flammas, per saxa ruit ; non flumina terrent,
4 non via navifragis in via vorticibus.
5 Afflet odor nares lucri semel ; ilicet ibit
6 ultra Memnonidas, ultra et Hyperboreos.
7 Nil grave, nil durum cupido : vel fata lacesset,
8 et vitam infestis offeret agminibus.
9 Mirandum jure et merito est, titulisque notandum.
10 Quis credat ? Satagit, nec sat Iberus agit.

IN ANTONIUM.

L4_16 v.1 Moechus es, et leno, et perjurus, et helluo, miror
2 te pater, Antoni, cur spurium esse putet ?

DE MILVIO.

L4_17 v.1 Milvius expertus scabiem male serpere Iberam,
2 si quis vulgivaga perficit in Chione ;
3 hanc ipsam ut vitet, vitat muliebria saecla ;
4 et vomit, et potat perdite, amatque potos.
5 Quod voluit, cavit. Scabie tamen integer ut sit,
6 haud opus Hujaco est : Oeta opus Herculea est.

## AD LINUM.

L4_18 Promittis toties, et adhuc, Line, scribere cessas ?
"Duxi, ais, uxorem". Do veniam ; haud tuus es.

## EPITAPHIUM JUVENIS FORMOSI.

L4_19 Ante diem primis vitae surreptus in annis
inter mortales desiit esse Crotus.
Qui puerum leto exstinctum putat, errat : Adonis
alter Persephonae, Diti Hyacinthus abit.

## FLACCILLAE EPITAPHIUM.

L4_20 Dum bibet, et crebris Flaccilla trientibus instat,
obruit immodico viscera, seque Deo.
Quo non mors penetrat ? Frustra fugis aequora : in ipsa,
cum volet haec, mensa naufragium facies.

## IN OLLUM.

L4_21 Ante nihil fueras : subito nunc summa tenentem
te fors destituit. Rursus es, Olle, nihil.

## AD QVINTUM.

L4_22 Multaque, magnaque sunt, quae scribis, maxime Quinte :
atque albo inscribi vis Heliconiadum.
Vel Rex, vel Caesar, vel Juppiter esto ; libido
multa tibi, et magna scribere dum maneat.

## AD HYELLAM.

L4_23 Si fortasse meis dabitur superesse Camenis,
aeternum in nostro carmine nomen eris.
Sin tantum sperare nefas : quod, Lux mea, fas est,
aeternum in nostro pectore Numen eris.
Illius ergo arrham hanc immo aram, pono, dicoque :
quasuper uratur mens tibi et ingenium.

## DE FILIO JANI DOUZAE.

L4_24 Nascere Douzaeis promisse penatibus haeres,
altera lux patriae nascere, magne Puer,
quem pater Aonida madidum Pimpleide inundet
largius, Aeaciden quam Stygio amne Thetis ;
umbratumque hedera Parnassi attollat in arces,
Quo nec Mincigenae fas fuit ire seni.
Ipsa tibi sacri referat Charis Orgia luci,
totaque reclusis postibus Ascra patet.

## AD FALCULAM.

L4_25 Cesserunt hostes domiti : res Falcula, gestae
fortiter, invictum te statuere tuis.
Nec jam quod timeas, superat ; Mars cuncta repressit,
et tibi ad arbitrium contulit omne decus.
Exsultare tamen nimium cave : proelia restant.
Ut temnas alios, Falcula, te metue.

## IN STELLIONEM.

L4_26 Perpetuas scripsisse notas se, Stellio dicit,
Justinianaei codicis ad placita.
Dicit. Sed fronte amissa quae Stellio dicit,
dicere Cretensem credite, vel Ligurem.

## IN AEDILUM.

L4_27 Femineum genus exosus fugis Aedile : gaude,
Euripidi similem te Deus esse dedit.
Cirratos impendio amans petis, Aedile : perge,
Aeagri comes hic, et tibi natus erit.
Pervigil ad Cyathos noctem trahis Aedile : macte,
hac ipsum aequasti laude Melesigenem
desidia ignavus molli fluis, Aedile : quid ni ?
Otia sectatus fertur et ante Maro.
Perfurta et plagia ad famam ruis, Aedile : numquis
par tibi et hic ? Si quis, Aedile, ne valeam.

## EPITAPHIUM L. DUCATI.

L4_28 Siste gradum, tumuloque novos insperge amarantos,
faustaque ter cineri verba precare sacro.
Hic spes Aonidum cubat aurea ; mersit amores
hic et Athenaeae Palladis et Charitum
impia non miti mors funere : Lucius hic est,
ille suae Ligiae lux simul, ac tenebrae.
Lux ; Aganippaei cum per juga laurea montis
raptus inexstincto lumine eam irradiat.
Nunc contra tenebrae ; tenero cum veris in aevo
infelix diro concidit interitu.
Ah, fatum crudele ! Quid, ah, quid acerba libido
carpere te subiit ! Vix modo vita suos
torserat egrediens sextae trieteridis orbes,
et taxo visa est digna quati Stygia !
Macte tamen juvenis : non te Cocytia mergent
flumina, non saevi tristior aura Erebi
illustrem ex merito nebulis involvet opacis.
Mortuus et Phoenix tu tibi verus eris.

## AD AMICUM.

L4_29
Et montes etiam intonsi te absente queruntur,
maestaque deciduis silva gemit foliis.
Ante alia abruptos delamentantur amores
Scultenna, undantique avius amne furit.
Sed quamquam exsilio ipsa tuo haud animata moventur,
crudior, hei, nulli, quam mihi, luctus abes !
Felicem Nioben ! Bis sex ad busta, dolores
ponere crudeles facta lapis potuit.

## DE MACRINO.

L4_30
Argolicum vincit longe Macrinus Homerum.
Qua ratione, rogas ? Nocte, dieque bibit.

## IN ANTIQVARIUM.

L4_31
Ex his, qui vivunt, nullum probat Avila Vatem.
Cui bonus est nemo, quis malus esse potest ?

## AD ATTALUM.

L4_32
Cum tibi sit conjux rara pulcherrima forma ;
miraris : quare tot tua, teque colant ?
Haud sat, quo tendant, advertis : an, Attale, mirum est,
laute cenantem si Gnatho Apicium amet ?

## AD TUMULUM FRANCISCI PETRARCHAE.

L4_33
Di tenuem tibi terram, et in urna perpetuum ver ;
ardoris nostri, magne poeta, jaces.

## DE PHILANDRO.

L4_34
Ingenio florens olim atque aetate Philander,
munia tractabat irrequieta fori.
Nunc senior Musis affectos devovet annos.
Quam bene Mercurio Calliope apta suo !

## CONTRARIUM DE AEMILIO.

L4_35
Cum virides Phoebo Aemilius sacraverit annos,
nunc fora sectatur litigiosa senex.
Mutati causam studii scis Angele ? Nummis
in saltu tendit fertiliore plagas.

## IN QVENDAM.

L4_36 Libertas, pacisque bonae bona commoda quando
ah, iterum terras missa polo repetent ?
Impius et demens, tragicaque agitatus Erinny,
quisquis opes potius, quam bona pacis amat.
Mygdonios teneat campos, Hermumque, Tagumque ;
serviat : et Martem qui colit, usque colat.

## AD VICTOREM GISELINUM.

L4_37 Monstrorum genera in numerum quis cogere speret ?
Non tot taurigenae mella legunt volucres.
Hic oculo caret, estque Gigas : caret auribus ille ;
hic pravo ac turpi corpore pumilio est.
Sunt qui natura ambigua sint Hermaphroditi ;
quosdam ad opus neutrum cernimus appositos.
Verum ut narrando percurras singula, monstrum
aeque admirandum, non fuit, est, vel erit ;
ut modo quod nostris natum regionibus ipsi
vidimus, horrenda monstrificum specie.
Idquam vis durum Victor mihi credere : crede,
vera loquor. Gestat in capite Hyllo pedes.

## AD PONTICUM.

L4_38 Versiculos facias quod in hora saepe ducentos,
Pontice, Virgilium te superare putas.
Ne fallas, ne fallaris : non Pontice multa,
sed multum scribet, qui volet esse Maro.

## IN MILVIUM.

L4_39 Milvius est doctus. Quid ni ? Qui condere libros
audet et antiqui prodere jura Numae ?
Sed tamen hic doctus Phoebo sit doctior ipso,
pagina si plagiis illius ulla vacet.

## AD SALVAGUM.

L4_40 Salvage, dum licuit lumen decurrere vitae,
atque hominum in numero fas fuit esse tibi :
omnibus invisus, simul omnibus invidus, alter
ut draco congestas abdis avarus opes.
At nunc te ecce vocat fuscae Deus arbiter aulae.
Nil bene fecisti, Salvage : jam facies.

## AD PAPILUM.

L4_41 Filiolum astrologus tibi, Papile, dixerat unum
caeli annuisse sidera.

Ecce duos tua Polla tulit. Quid, Papile, censes ?
Vana arte nixum et futili ?
Nil minus. Astrologo sua constant dicta : secundum
moecha addit hunc uxor tibi.

AD LECTOREM.

L4_42

Ingentes alius, seraque coronide libros
extendat, numeris ludat et innumeris.
Ipse ego pauca dedi. Cui non nisi multa placere
magna solent, Quintis gaudeat : haec mea sunt.